

non saltasse senam, qui puer gravissimus & severissimus fuerat.

Pro Caelio n. 42. excusat liberio-rem consuetudinem à persona Caelii, cuius adolescentiæ multa ignosci oportebat.

Pro Comædo numer. 20. Hominem defendit ex Adjunctis personæ, quibus Chæræam fraudulentum probat, & ab eo deceptum Roscium ostendit.

Catilinaria 3. n. 13. ab Adjunctis personarum conjuratos sceletis reos arguit. *Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabella, signa, manus, denique uniuscujusque confessio, tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspiciabant, ut non jam ab aliis judicari, sed ipsi à se viderentur.*

Et Catilinaria 2. n. 5. Conjuratorum vim & copias à vilitate personarum elevat ac deprimit, eosdem describit n. 10. & 18.

Verrina 7. n. 139. flagitium Verris exaggerat à dignitate civium Romanorum, quos virgis cædi cruentum in morem jusserat.

Philip. 3. à n. 28. ad 32. Bellum suadet in Antonium ab Adjunctis personæ ipsius Antonii, cuius mores ac vitia describit.

*Quid.* Negotium ipsum, vel rem, de qua agitur, explicat.

Habes exemplum illius Adjuncti Verrina 7. num. 148. ubi crudelitatem Verris in cives Romanos exaggerat.

*Si quis Rex, si qua civitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in civem Rom. ejusmodi nonne publice vindicarem? non bello persequeremur? possemus hanc injuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere?*

*Quot bella majores nostros & quanta suscepisse arbitramini, quod cives Romani injuria affecti, quod navicularii retenti, quod Mercatores spoliati dicerentur? At ego retentos non queror; spoliatos ferendum puto; mancipiis, mercibus ademptis in vincula coniectos esse Mercatores, & in vinculis cives Rom. necatos esse arguo, &c.*

Et ibid. n. 166. *Si tu apud Persas & in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium ducerere; quid aliud clamitares, nisi te esse Civem Romanum? & si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos nobile & illustre apud omnes nomen tue civitatis profuisset; ille, quisque erat, quem tu in crucem rapiebas; qui tibi esset ignotus, cum civem se Rom. esse diceret, apud te Prætozem si non effugium, ne moram quidem mortis, mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit.*

*Ubi.* Differentias loci complectitur, & varias species; ut si profanus, si sacer, si publicus, si privatus, si agrestis, si urbanus.

Luculentum Adjuncti illius exemplum Philip. 2. num. 63. *Sed hæc, quæ robustioris improbitatis sunt, omit- tamus. Loquamur potius de iniquissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippia nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in conspectu Populi Rom. vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! si inter cœnam, in tuis illis immanibus poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu vero Populi Rom. negotium publicum gerens, Magister Equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum & totum tribunal implevit.*

Et

Et num. 68. *Tu ingredi domum illam ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium Diis*

*Penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquandiu nemo aspiceret poterat, nemo sine lacrymis præterire, hæc te in domo tandiu di- versari non pudet? in qua quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse jucundum. An tu illa vestibula, rostra, spolia cum aspexisti, domum tuam te introire putas? . . . Me quidem miseret parietum istorum atque tectorum, quid enim unquam domus illa viderat nisi pudicum, nisi ex optimo more & sanctissima disciplina? Fuit enim ille vir, P. C. (Pompejus) sicut scitis cum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus exteris magis laudandus, quam institutis domesticis. Hujus in sedi- bus, pro cubiculis stabula, prætri- cliis popine sunt!*

Ejusdem computationes & luxum in domo Varronis, hominis abstinentissimi exaggerat n. 104.

Et pro Milone num. 53. ex opportunitate loci, ex quo pugnabat Clodius, arguit Milonem fuisse insidiatorem.

Et ibid. numer. 90. scelus Clodii qui incenderat Curiam à loci sanctitate amplificat. *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ad univèrso Populo Rom. uni ordini concessam vidimus inflammari, excindi, funestari!*

Et oratione 2. in Rullum n. 94. Campanos arrogantes libidinibusque perditos à natura loci arguit.

*Quibus Auxiliis,* hoc est quibus instrumentis ac præsiidiis, an baculo, an gladio, an fida? vel quibus ministris, auctoribus, adjutoribus?

Exemplum habes, pro Milone in loco jam laudato, ubi tam Mi-

lonis, quàm Clodii apparatus describit. *Age nunc iter expediti latronis, &c.*

Et Philip. 2. num. 58. describit apparatus quo Antonius incedebat cum Mima sua. *Vehebatur in essedo Tribunus plebis, lictores laureati antecedeabant, inter quos aperta lectica Mima portabatur, quam ex oppidis Municipales, homines honesti obviam necessario prodeuntes, non noto illo & mimico nomine sed Volumniam consalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi, rejecta mater amicam impuri filii tanquam nurum sequebatur.*

Adde Clodianam cædem, quæ Miloniana tota ab eo Loco describitur.

*Cur,* causam significat maximè efficientem & finalem, ut quo consilio, qua spe, quo motu, &c.

Eo Loco Cicero utitur ad Milonis defensionem n. 32. *Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bella docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse.*

Et ibid. n. 49. *Age, sit ita factum; quæ causa, cur Romam properaret? cur in noctem se conjiceret? quid asserere festinationem? quod heres erat? primò erat nihil, cur properato opus esset? Deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem, si postridie mane Romam venisset?*

*Quomodo,* Totius rei gestæ varios modos complectitur; ut si triumphus, si cædes, si sacrificium narratur, statim modus ipse & ratio ponitur ante oculos. Potest enim diversa ratione triumphus decerni & institui, item & cædes.

Exemplum habes 7. Verrina num. 160. *Ipse inflammatus scelere & furore in forum venit. Ardebant oculi,*

to ex ore crudelitas eminebat; expectabant omnes quò tandem profecturus. & quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem Rom. esse. . . . Cadebatur virgis medio foro Messana Civis Rom. iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hec, Civis Rom. sum: hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque à corpore dejecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur; sed cum imploraret sepius usurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici & erumoso, qui nunquam istam potestatem viderat, comparabatur, &c.

Ad eum porro locum referuntur quidquid tam de Hypotiposi quàm de Ethopeja, in libro de Figuris, diximus. Duæ enim istæ figuræ natæ sunt ad rerum gestarum rationem graphicè describendam.

*Quando.* Tempus significat, quo aliquid sit actum, an nocte? an pleno die? an æstate? an hyemè? &c.

*Pro* Quinctio n. 81. Nævium Tutilius coarguit, probatque septinginta passuum millia aut esse biduo decursa, aut Sext. Nævium compluribus diebus ante misisse in possessionem, quàm postulare, ut ipsi bona possidere liceret.

*Pro* Lege Manilia num. 35. Pompeji victoriam commendat à celeritate, *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hieme apparavit, incun- te vere suscepit, media æstate con-*

*Pro* Milone n. 49. *Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quàm expetendus fuit, sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsistendum atque expectandum fuit. Noctu, invidiosa & pleno latronum in loco occidisset, nemo ei neganti non credidisset, quem omnes salvum esse, etiam consistentem volunt. Sustinisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator & receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque cæca nox ostendisset Milonem.*

## EXERCITATIO.

*Goliath immanis Gigas à juniore Davide prostratus.*

Locus ab Adjunctis Comitantibus.

## S Y N O P S I S .

*Quis.* AN ille est tam timendus hostis populo Israelitico?

*Quid.* Describetur informe cadaver, immanis truncus avulso capite, spirantes adhuc minas oculi, &c.

*Ubi.* Invirabit Orator Philistæos, ut propioribus oculis aspiciant Imperatorem suum, tingentem suo sanguine terram illam, in qua laurearum segetem metere cogitabat.

*Quibus auxiliis.* Tractabit Locum illum per Sustentationem. An exercitus totus in hominem irruit? an bellator aliquis egregius illum oppressit? an Saul ipse? hoc perfecit adolescentulus.

*Cur.* Sic mortalium fastus reprimat Deus, sic amat hostes suos levibus instrumentis profligare, ne, &c.

*Quomodo.* Non percutit semper Deus nocentes fulmine, non ferrum adhibet, aut faces, &c. Erit posteris documentum prostratus bellator funda, & lapide.

*Quando.* Hortabitur Israelitas, ut agant gratias Deo, cujus in extremo rerum suarum discrimine amicam manum senserint.

ORA-

## O R A T I O .

*Quis.* Quid video? quale se meis oculis offert spectaculum! Hicne est immanis Gigas Israelitico populo tam timendus hostis? quem aggredi nemo sustinuit, nemo provocantem ad pugnam ausus est opperiri; qui solus magni instar exercitus haberi poterat; cujus vel ad aspectum fortissimi bellatores expavescebant; tantum animi ferocitate, vitium præstantia, corporis immanitate ceteris mortalibus prævalebat? Proh! quàm mutatus à semetipso, quàm dissimilis objicitur!

*Quid.* En jacet informe cadaver, extenditur truncus ingens, & avulsum humeris caput suo natat in sanguine. Frustra resides iras spirant adhuc oculi, & in torva fronte prioris audaciæ vestigia deprehendas; filet lingua procax in omne tempus, & lumina in æternam noctem clauduntur.

Adeste Philistæi quotquot estis, tanto præsidio, dum viveret, tumidi nimium & insolentes! accedite propius; aspiciate curiosis oculis vestrum Imperatorem. Ecce terram illam suo inficit sanguine, quam inaccessible fore & ab armis nostris intactam confidebatis: hic dedecoris & opprobrii multa vobis seges exurgit, ubi laurearum ac palmarum messem amplam expectabatis.

*Ubi.* At quis prostravit tam terribilem, tam metuendum bellatorem? quis spes cum eo vestras affixit? quis illatam toti populo ipsique Deo injuriam vindicavit? An irrumpens in eum universus exercitus sua hominem unum multitudine oppressit? an selectus ex omni populo vir aliquis fortissimus formidandum Gigantem aggressus est? an ipse Saul tot palmarum nobilis & partijs toties

de Philistæa gente victoriis conspicuus tumidos viri insolentis fastus repressit? Expectate dignius aliquod admiratione facinus, & prædicandum posteris miraculum suspicite. Rem peregit pastor imbellis; rudis & imperitus belli adolescentulus, & tractandis armis nondum idoneus.

*Cur.* Sic mortalium superbiam contundis ò Deus! ac ne quis suo confusus robore & solertia ferox insolenscat; ne debitam tibi rei bene feliciterque gestæ gloriam audeat sibi vindicare; quos adversarios experiris, quos plectere pro tua aequitate statuisti, eosdem amas levibus quibusque instrumentis profligare.

*Quomodo.* Neque vero fulmine semper nocentes feris, & dejicis superbos; non adhihes ferrum & faces ad vindicandas hominum injurias. Erit in omne tempus salubre mortalibus documentum immanis ille Colossus funda prostratus & lapide, quid valeas, quàm frustra tibi genus hominum illudat; quàm sit inutile ac supervacaneum, quidquid contra voluntatem tuam struit ac molitur.

*Quando.* Vos vero dilectus supremo Numini & amabilis populus, plaudite, Israelitæ, & immortales liberatori vestro gratias persolvite. Sic ille vestræ salutis consulit, sic opitulatur suis, & in extremo rerum discrimine, cum spes affulget nulla, cum retro fluere ac disperata prorsus esse cuncta diceret, accerrimum se defensorem ac præsentissimum vindicem exhibet.

ALIA

## ALIA EXERCITATIO.

*Trajectus à Gallis Rhenu inspectante  
& obsistente in adversa ripa  
hostium exercitu.*

Ab iisdem Adjunctis Comitantibus.

## S Y N O P S I S.

*Quis.* Exord. à laudatione gentis Gallicæ, cui nihil dicit esse impossibile, quantumvis plenum periculis videri possit.

*Quid.* Describet objectas Gallicæ virtuti moras. Non fossæ, non paludes, non propugnacula hostium manibus extructa, sed flumen rapidissimum & altissimum natura sua Gallorum imperus retardabat.

*Quibus auxiliis & Quomodo.* Dicit Orator Gallos non construxisse pontem exemplo Xerxis; non derivasse flumen, ut fecerat olim Cyrus, non comparasse navigia, sed ingressos flumen ipsum & rapidissimas aquas equo trajecisse, in quibus stare pontium structura non potuisset.

*Ubi & Quando.* Describet expertes formidinis Gallorum animos. mediis in periculis, stantes adversa in ripa hostes, & tormenta omnia in Gallos explodentes.

*Cur.* Ostendet uno comparandæ gloriæ & ostentandæ fortitudinis desiderio impulsos ad tentandam tanti periculi aleam.

Concludet extollendo prodigium illud vix ullam apud posteros fidem inventurum.

## O R A T I O.

Ne pigeat revocare in memoriam illustrissimum Gallicæ fortitudinis specimen, & facinus omnium linguis ac sermonibus decantatum torrens, etiam post longum tempus tractare. Crederent unquam posteri quod dicturi sumus; & rei tam fidelibus monumentis consignatæ fidem adjungerent, nisi jam diu eam obtinerent Galli apud universos populos famam, nihil ut sit tam arduum, quod non aggrediantur, nihil tam plenum periculis, quod non

*Quis.*

ultra subeant, nihil tam inexpugnabile, quod vincere non soleant ac superare?

At quantum illud fuit, quantum ad admirationem singulare, quod de ipsa rerum natura triumphare Galli visi sunt, neque oppositis ab ea potentissimis obicibus potuit virtus eorum invicta retardari. Vidit enim verò noster exercitus objectam sibi non fossæ, non muri, non propugnaculi, non paludis moram, aut quidvis aliud inusitati operis repagulum, quod hominum manus fabricaverant, sed altissimi rapidissimeque fluminis alveum, Rhenum uno verbo, quem non tam muniti undique aggeres, propugnacula, insulæ tuerentur, quam vis aquarum immensa, & nusquam hactenus pertentata defenderet: vidit, inquam, neque has sibi vias insuperabiles putavit.

Tamen non contabulavit fluvium, ut Xerxes, aut Cæsar; non derivavit, ut Cyrus; non adhibuit navigia, ut mos est bellorum martisque communis; sed immensos aquarum vortices, illud pelagus securus eques ingreditur, pedem figit, ubi stare pontium structura non potuisset, aquas ambulat, quas navigiis transmittere periculosum fuisset.

Quod si fecisset unus aliquis in tanto exercitu, si imminentis hostis contemptor in adversam ripam evassisset, hominis industriam, fortitudinem miraremur. Nunc autem trajecisse turmas integras, inspicientem hoste, ripam insidente, tormentis, jaculis, telis omnibus ingruente non repulsas fuisse, non territas; sed in hostium arces intonuisse, ex inferiore loco irruisse in propugnacula, obsistentes ac repugnantes trucidasse, mactasse, occidisse, id si admirabile quiddam ac prodigiosum non dicimus, vestram fidem, quid

*Quid.*

*Quibus auxiliis & Quomodo.*

*Ubi & Quando.*

deinceps à nobis in miraculorum numero reponetur?

Neque vero hæc patrata quis putet à Gallis aut periculi metu, quod instaret, aut potiundæ spe prædæ, quam ambirent, aut propagandi longius imperii gratia, quod interpositi fluminis repagulum arctius coerceret; fuerint illa præcis heroibus virtutis incitamenta. Hæc una genti Gallicæ merces proposita, unum hoc erit tantæ fortitudinis præmium, si nova quædam fiat ad comparatam jam laudem accessio, & inusitatum antea invicti roboris exemplum futuris ætatibus ostentetur.

Gaudeat ergo parva tam insigni facinore gloria & apud feros nepotes eam, quam meruit fortitudinis invictæ laudem, sibi gratuletur.

## EXERCITATIO.

*Vitellii in Senatu Oratio, qua Pisonem illata Germanico mortis reum accusat.*

Locus ab Adjunctis Antecedentibus & Consequentibus.

## S Y N O P S I S.

*Exord.* Dicit non venire se, aut communi aut proprio inflatum odio ad Pisonem accusandum.

*Propositio.* Defere se ad Senatum extrema morientis Germanici verba, quibus ipsorum æquitatem adversus interfectorem suum flagitabat: quod unum etsi sufficeret ad probandam accusationem, multa alia ad eandem confirmandam concurrere.

*Confirmatio.* Petetur ex duplici capite. 1. ab Adjunctis Antecedentibus, & ab odio Pisonis in Germanicum, quod probabit tam à publica oratione quam habuerat Pilo in Germanicum Athenis, quam à privatis sermonibus in quibus carere Germanicum affectabat.

2. A corrupta militia in Syria, suffectis fortissimorum Centurionum in locum ignavis militibus, quos ea ratione conciliatos in Germanicum concitaverat.

3. A missis frequenter exploratoribus, dum Germanicus ægrotaret, qui morbi & porrecti veneni eventum nunciarent.

Deinde idem arguet ex Adjunctis Consequentibus, & 1. à ludis & sacrificiis & aliis lætitiæ signis, quæ Pilo post Germanici mortem ediderat, quem locum tractabit per Antitheses comparando Pisonis gaudium, cum publico Romæ civitatum, totius exercitus mœrore.

2. Ab alba veste, quam Plancina Pisonis conjux induerat, atra quam gerebat deposita.

3. Ab oppugnata Agrippinæ classe, quæ Germanici cineres cum universa ejus familia veheret. Non habuit satis Pilo tollere Germanicum de medio, nisi totam ejus familiam perderet, quasi verò speravisset defuturos accusatores, si spem gentis inclytæ totam excidisset.

4. Ab absentia Pisonis, qui venire Romanam jussus ad purgandum illatum crimen, abnuerat obsequi.

Denique ab ornata Pisonis domo, quam ut Judices subire velint, sceleris vestigia deprehensuri, hortabitur.

*Conclusio.* Per Deprecationem, &c.

## O R A T I O.

Etsi incredibilis civitatis totius in præmatura Germanici morte luctus ac mœror, meaque cum fortissimo Principe necessitudo satis me adhortantur, ut meritas ab æquitate vestra judiciorumque vestrorum severitate in parricidam ipsius repetam pœnas; nolite tamen existimare, Patres Conscripti, me vel publico vel privato adductum odio in istud sanctitatis domicilium accessisse, ut Pisonem, virum post hominum memoriam longè scelestissimum, in tam frequenti confesso accusarem.

Quare ignoscet mihi vel in istis rerum adjunctis universus populus, si neque suis, neque meis ipsius inimicitis hodie serviam. Satis habebō deferre vobis, Patres Conscripti, tristes infortunatissimi Principis querelas, qui nefario adversariorum suorum scelere coactus cedere, hoc unum habuit acerbissimæ mortis solatium, si suam

suam vestris in manibus causam deponeret. Utinam extremos morientis spiritus excipere, & ultimas voces audire vobis contigisset. Partecite, inquit, unumquemque nostrum fidissimos rerum suarum comites respiciens, parcite, amici, inanibus lacrymis miseri Principis funus prosequi.

Exteræ gentes Germanicum luceant; vos, si quid amico indultum volueritis, facite Senatus ut sciat, me Pisonis odio atque insidiis interceptum interire. Hæc una vox, hoc unum fortissimi viri testimonium et si sufficeret per se satis, ad evincendam interfectoris perditissimi improbitatem; tamen offerunt se mihi tam multa sceleris argumenta, ut perstringendis eorum nonnullis temperare non possim.

Adjuncta Antecedentia, Odium.

Oderat Germanicum Piso, P. C. & ita oderat, ut nulla provocatus unquam injuria suam Germanico salutem ac vitam deberet. Sed quid adeo mirum est, si Pisoni cum tanto viro tam parum conveniret. Nam quæ poterat esse societas rationis cum amentia, pudoris cum libidine, fortitudinis cum ignavia, virtutum omnium cum nequissimo vitiorum omnium comitatu? Quid dicam quàm sape privatis in colloquiis maledicendi de Germanico, vellicandi res ab eo præclare gestas, allinendi labem ipsius moribus occasionem arriperet? Saltem si pestiferum invidiæ suæ virus inter angustos nefarii pectoris limites continuisset; si tantum inter paucos conceptæ jam diu malevolentia labem effudisset. At media in luce, coram universo exercitu detrectare de Germanico cruentum in morem non dubitavit. Hominem urebat scilicet, quod æquitatem populi Romani apud exteras gentes Germanicus humanitate sua commendabat; quod

Maledicta privata & Publica.

significatione benevolentia Atheniensium animos demerebatur. Volebat Piso eos haberi durius, & quod obtineri clementia poterat, id verberibus ac plagis malebat extorqueri.

Quamquam ne quis existimet constantem esse in ea morum severitate Pisonem; non est ille tam rigidus ac ferreus, ut flecti ac mansuescere nesciat. Voluit interdum videri clemens ac misericors. Testis Syria, in qua tam insignia mansuetudinis suæ vestigia hominum suavissimum impressit. Hic habebant hyberna castra legiones nostræ, quæ sub Germanici institutione hanc erant assecutæ militaris disciplinae laudem, ut neque minus segniter suas quisque vices obiret, quàm si à tergo institisset hostis, neque modestè minus ac civiliter viverent; quàm si medios inter cives versarentur. Non placuit Pisoni ista vivendi forma; offendit hominem mitissimum asperior ratio disciplinae. Positas ab Imperatore leges reformandas putavit legatus consultissimus idemque blandissimus; novum in castra morem induxit, & ejectis fortissimis quibusque Centurionibus ignavos eorum in locum milites suffecit; hac spe fretus nimirum, ut dum indulgentia sua fovaret militum fœcordiam, rigidioris invidiam disciplinae in Germanicum traduceret.

Et dubitabit aliquis conjurasse Pisonem illius in vitam, quem capitali odio persequeretur? Parco hic memorare P. C. ut ægrotante Germanico frequentes in ejus castra exploratores atque emissarios Piso mitteret, qui morbi illius, cujus auctor ipse & causa extitisset, senem, vim, progressus in dies singulos referrent; ut, crescente malo, cresceret pariter Pisonianæ familiae gaudium, & remittente interdum fatalis veneni

Corruptus à Pisonem Militia in Syria.

Exploratores à Pisonem illi dicit Germanicus ægrotare.

con-

contagio, singulorum ora contabescerent.

Adjuncta Consequencia.

Pisonis gaudium in publico more.

Sed quid in istis diutius immoror, quæ si Pisonem illata Germanico mortis reum non arguerent, quæ sunt obitum ejus consecuta, ejusdem parricidii conscium satis evincant. Revocate, quæso, animis P. C. quanto bonorum omnium luctu perlatus ad nos fuerit de Germanici morte nuncius; quanta singulos ordines invaserit & quàm sincera comploratio: ut universa hæc civitas repentino concussa metu lamentari cœpit, quasi parens patriæ occidisset. Interim Piso, quasi re gesta feliciter, facras Diis immortalibus hostias immolabat. Dum populi totius suspiriis ac gemitibus Roma personaret, Piso festas solemnem latitiæ voces incendebat: dum squalerent municipia, afflicterentur coloniae, civitates hujus imperii universæ civi fortissimo parentarent, Piso triumphalem ludorum pompam populo exhibebat. dum orbata invictissimo duce legiones abjectis hastis, amarissimo sese luctui permitterent, Piso militum suorum voluntates ac gaudia effusis largitionibus redimebat. Ipsa, ipsa viri nequissimi conjux Plancina noluit in tanta gestantis familiae exultatione sui pariter gaudii publicum negare monumentum, & quæ fuerat sceleris particeps ac machinatrix, rebus ad votum fluentibus sibi non gratulari. Hinc posita veste, quam gerebat, pullata, quasi metuisset latissimi triumphi diem lugubri cultu funestare, decentiorem ornatum induit & candidis amicta vestibus sese palam ostentavit.

At ista levia sunt, P. C. attendite animis ad graviora. Non stetit per Pisonem, quin unâ cum Germanico tota Caesarum familia occumberet; ac nisi tutelares Imperii hujus generis paratam Agrippinæ Ger-

manicque liberis cladem avertissent, orbatam fortissimo robore Rempublicam nostram lugeremus. Nam quid loquar, quod nemo vestrum ignorat, P. C. quales per insidias, & quàm valida manu oppugnata classis illa fuerit, quæ tristissimas Germanici reliquias desolatamque ipsius familiam Augusti nepotes deportaret? Grates enimvero vobis, Superi, qui nobis charissima illa capita, dum gravius lacerarentur, conservastis; qui contra spem omnem expectationemque nostram publicæ incolumitati ac saluti providistis.

Te verò, hominum sceleratissime, quis demum furor in tot innocentes victimas armabat? quis erat sensus pestiferae conjurationis? qua spe ad fundendum tot Caesarum sanguinem incitabare? Putabas nimirum, si Germanici familiam sustulisses, neminem in posterum adfore, qui parricidii tui immanitatem revelaret; qui te huic ordini amplissimo merita multandum poena deferret? At quam salus opinione tua es! Tot habebis accusatores, quot sunt in hac urbe cives optimi, quot in Romanis legionibus fortunati Germanici commilitones, quot sunt in tota Italia Reipublicæ nostræ defensores acerrimi. Verum quia nec ea parte saluum se & incolumem fore sensit, aliam homo vaferrimus ineundam putavit exitii, quod imminere sibi videbat, declinandi rationem. Scitis ipsi, P. Conscripti, qua contumacia venire jussus, ut illata accusatione se se purgaret apud vos, parere abnuerit; quàm ægre demum hinc judiciorum vestrorum æquitate perterritus, inde amicorum consiliis, qui spem impunitatis, si adesset, injiciebant, victus & impulsus in hanc urbem redierit.

Oppugnata Agrippinæ classis à Pisonem.

Absentia Pisonis ab urbe.

Quan-

Ornata  
Pisonis  
domus.

Quamquam videte, quæso, P. C. ut ipsa se prodit improbitas, & in paratos laqueos ultro irruit, & fugi, quem obduxerat, impatiens, talis postmodum, qualis est, videri amat. Venit Piso, ut objectum sibi crimen dilueret, ut ostenderet nullam habuisse se in Germanici morte partem; tamen dum mœrent omnes, dum jacet confecta senio tota civitas, dum luctum ac mœstitiam spirant omnia, sola Pisonis domus luctu vacat. Succedite enim verò P. C. Pisonis in domum; quid hic pompam latissimam, celebrem triumphi apparatus, quid gratissimam festivitatem non sapit? Quid igitur moræ est, quin latentem etiam reum vestris sententiis eruatis, & quam meritis est scelere suo pœnam, irrogetis? Hoc repetunt pii Germanici cineres, hoc desolata liberorum ipsius orbitas, hoc Augusti neptis Agrippina flagitat & obtestatur.

## ALIA EXERCITATIO.

*Romani cujusdam ad Coriolanum Oratio, cum matris & uxoris precibus expugnatus, Romam ab obsidione solvere statuisset.*

Locus ab Adjunctis Antecedentibus & Consequentibus.

## S Y N O P S I S.

*Exord.* Rem ipsam, quam facere parat, exhibebit. Scilicet expugnatum fuisse mulierum precibus illius animum, quem Legati Romanorum, amor patriæ invictum senserant.

*Propositiō.* Peret an abjecerit laudabile consilium, quod inierat, vindicandi Romam ab iniqua plebis dominatione; an non videat periculum quod adeat, si ab incepto destiterit.

Priorem partem probabit ab Antecedentibus; iubebitque ipsum meminisse, quo studio libertatis arma sumpserat, non

te privata injuriæ, non populi odium, sed patria jugo mancipata stimularit; non potuisti ferre dominantem nobilitati & leges imponentem populum. An clangit ardor ille muliercularum precibus evictus, &c. an docilis populus factus est, &c.

Alteram partem probabit à Consequentibus, exponetque quam multum timendum habeat à Romanis, qui serius oculis illatas injurias ulciscuntur; quam multa ab ipsis Volscis, qui patientur iniquitatum initium cum ipsis fœdus abrumpi, &c.

*Conclusio.* Per vehementem Deprecationem.

## O R A T I O.

Ergo vinceris, dux fortissime? metuenda tuis hostibus & fatalia postmodum futura ponis arma? Roma pacem obtinet? Scilicet imbelles feminæ animum illum expugnant, quem nulla unquam bellorum pericula, nullæ Senatus preces, nullus mœrentis & obsequentis populi dolor, nullæ quantumvis honorificæ, oblatis fœderis conditiones, non ipsa ruituræ jam jam in cineres patriæ charitas inflexerat? Equidem non incussem ego pietatem tuam, Dux fortissime: scio quid blanda conjux apud fidum conjugem, quid vrenda mater apud amantem filium possit. At patere, meum ut stuporem tibi, & incredibilem, qui pro te me angit, metum aperiam. Nam quid putem demum, vel quid loquar? An oblitus hodie tui es? an periculum non vides, quod subis? Sic inchoata tanto ambitu cœpta momento excidunt? sic propriæ salutis contemptor in apertum exitium corruis?

Ah! liceat revocare tibi in memoriam, quo te consilio ad oppugnandam Romam accinxeris? quis fuerit sensus armorum tuorum, cum inferre bellum patriis mœnibus statuisti. Non te impotens ambitio, non cœca dominandi cupiditas, non

civium

civium tuorum odia, non injuriarum recordatio, non implacabilis vindictæ furor manum armarunt. At te sincera patriæ charitas, libertatis amor, Romæ gloria, Imperii salus ad suscipiendum bellum hoc pepulerunt. Non potuisti ferre dominantem plebem, dum nobilitas serviret: doluisti illam regnare, quæ parere didicerat, hanc obsequi, quam imperare decuisset. Exarsisti nobili studio vindicandæ ab infami jugo patriæ, quam diligis & in pristinum libertatis decus restituendæ. Tu suam sacris legibus vigorem, suam Magistratibus reverentiam, Patribus auctoritatem asserere meditaberis. Hucine tandem recidit dignum Coriolano consilium? tam citò ardor ille nobilis deseruit? remisit virtus illa, & quam superba Roma vereri primùm visa est, adversus muliercularum lacrymas clangit? At ni te gloriæ studium, libertatis decus, tuorum amor, patriæ salus moveant; piget dicere, moveat te periculi gravitas, quod imminet, si rerum hoc in discrimine inspecti te indignis precibus permiseris.

Consequencia.

An ergo tam parum nosti populum illum perduellem, cui parcis? Nempe jam posuit furores, jam docilis factus est, & mansuescere didicit? jam patiens excipiet jugum? nihil ille deinceps iniquum meditabitur; nihil retinebit veteris pertinaciæ? exosus turbas ac tumultus innata levitatis obliviscetur? non dolebit unquam illatam sibi ab eo fuisse vim, quem expulerit? nihil pigebit abjecisse te illius ad pedes, quem olim proscribere meminerit? reverebitur usque, aut etiam amabit Coriolanum, quem, nisi obstitisset conjux, nisi vetuisset mater, ferocem victorem & implacabilem expugnatorem expertus fuisset?

Sed esto: Romani nihil in te pec-

cent; tam mites in posterum, tam dociles habeas, quam rebelles olim, quam contumaces persensisti. Nihil ne videtur tibi, quod à Volscis metuas? Non iniquo ferent illi animo violari fœdus, quod sancitum à te cum ipsis est? Non indignabuntur deferi se ab eo turpiter, quem ejectum patriæ, exulem & egentem consilii exceperunt? non irruent in te tanquam in proditorem? non te repetent ad pœnas, devotam furori suo victimam, & concessam ingratis urbi pacem tuo sanguine non rediment?

Ah! ne tuam ipsius in ruinam præceps corruas, Dux fortissime. Si tuæ consultum gloriæ in perpetuum tempus esse volueris; si qua tuenda salutis cura te remordeat; nisi laborum tuorum socios tuæque sortis comites in apertum capitis discrimen objicere volueris; persta firmiter in eo consilio, quod iniisti tam laudabiliter, tam feliciter promovisti. Securus esto matris, ac conjugis, quibus nihil periculi imminet, si videris. Permite illas tantisper dolori suo, dum triumpho tui magnitudo lacrymas abstergat, & brevissimi luctus moram magno gaudii fenore consoletur. Interim Romæ mœnibus exercitum admove. Rerum mox dominus atque arbiter, si quid indulgere patriæ volueris, tanto gratius beneficium impendes, quanto minus expectatum illa sibi gratulabitur.

## CAPUT X.

Locus à Causis.

Quid est Causa?  
R. Causa vulgò definitur à Philolophis id unde res aliqua est.  
Quotuplex est Causa?

R. Qua-

R. Quadruplex. Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis.

Quid est Causa Efficiens?

R. Est id, à quo res habet, ut existat. Alia autem est Physica, ut artifex domus, alia Moralis, ut spes præmii.

Quid est Causa Materialis?

R. Est id, in quo vel ex quo fit aliquid, ut lignum est causa materialis scamni, Parietes domus; quia ex ligno fit scamnum, domus constat ex parietibus.

Quid est Causa Formalis?

R. Est ratio quædam & forma, per quam res aliqua in sua natura ita constituitur, ut per eandem à cæteris distinguatur. Hæc porro triplex vulgo numeratur, Essentialis, ut anima in homine, Accidentalibus, ut calor in igne, Artificialis, ut colorum ductus in tabella.

Quid est Causa Finalis?

R. Est ea, propter quam aliquid fit. Ita beata vita est causa finalis hominis, quia agit omnia ut illam acquirat.

Quomodo ducitur argumentum à Causis?

R. 1. Si tollantur Causæ & negentur, tolluntur pariter & negantur Effecta: v. g. nullus fuit Architectus, ergo nulla domus.

2. Si affirmetur causa necessaria, effectus quoque affirmabitur. verb. gr. Fuit ignis in hoc loco, ergo & calor.

3. Si res possibilis ostendatur ex vi & potentia Causarum. Ita probare poteris Resurrectionem esse possibilem, ex eo quod Deus sit Causa efficiens, & materia, sive Causa materialis, homine etiam mortuo, superstes maneat.

Exempla Causæ Efficientis pro Rosc. Amer. num. 38. ubi probat eum non esse parricidii reum: quia caret iis vitiis quibus ad parricidium

stimulari aliquis & incendi possit.

Quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? Nonne & audaciam ejus, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, & mores feroces immanemque naturam, & vitam vitiis flagitiisque omnibus deatam, & denique omnia ad perniciem profligata & perditam; quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obijciendi quidem causa, contulisti.

In Pisonem num. 41. Carpit in ipso molliem vitam tanquam causam vitiorum omnium quibus erat deditus. Nam ille gurges atque belluo natus abdomini suo, non laudi atque gloriæ, cum Equites Rom. in provincia, cum Publicanos nobis & voluntate & dignitate conjunctos omnes fortunis, multos fama vitæque privasset; cum egisset aliud nihil in illo exercitu, nisi ut urbes depopularetur, agros vastaret, exhauriret domos, ausus est à Senatu supplicationem per literas postulare. Tunc etiam atque adeo vos gemine voragine scopulique Reipublicæ, vos meam fortunam deprimitis, vestram extollitis.

Sic in Oratione pro Milone exponit causas cur Clodius Milonem odisset, num. 35. & pro domo sua cur multi à se descivissent, num. 6. & 7. Et pro Sylla num. 48. probat nihil esse cur irascatur Torquatus, quod Syllam defendat.

Quis est usus causæ efficientis?

R. Valet maximè ad rem amplificandam. Sic in Verrina 3. num. 7. Verrem exhibet agitatum scelerum poenis, quæ tam in Deos quam in homines commiserat. Agunt eum præcipitem poena civium Rom. quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes iura libertatis & civitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium Dei patris, quod iste inven-

ventus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pretium pro sepultura liberum posceret. Religionem verò ceremoniamque omnium sacrorum sanorumque violata, simulacraque Deorum, quæ non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam jacent in tenebris, ab isto retrusa atque abdita consistere ejus animum sine furore atque amentia non sinunt.

Valet etiam ad rem minuendam. Ita Cicero extenuat res bellicas Cæsaris tanquam Imperatoris minus proprias, ut ejus clementiam extollat, qua Marcello injurias condonarat num. 6. pro Marcello. Bellicæ laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrabere ducibus, communicare cum militibus, ne proprie sint Imperatorum. Et certè in armis militum virtus, locorum oportunitas, auxilia sociorum, classes, comæatus multum juvant. Maximam verò partem, quasi jure suo, Fortuna sibi vindicat, & quidquid est prosperè gestum, id parè omne ducit suum, &c.

Valet etiam ad hortandum. Sic 2. Verrina num. 51. Glabronem hortatur hoc modo Tullius ad suscipiendam judiciorum causam. Cogita quis sis, quo loco, quid dare populo Rom. quid reddere majoribus debeas. Fac tibi paterna leges Acilie veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis iudiciis severissimisque iudicibus usus est. Circumstant te summa auctoritates, quæ te domestica laudis obliviscere non sinant, quæ te dies noctesque commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimum avum, gratissimum socerum fuisse.

Item & ad dehortandum ille locus utilis est. Sic in libro de senectute num. 40. 41. Ut excitet voluptatis odium & ab ea deterreat, ex-

Le Jay, Tom. I.

hibet perniciosos voluptatis effectus.

Hinc patria proditio, hinc rerum publicarum everfiones, hinc clandestina cum hostibus consilia nasci dicebat; nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra verò & adulteria & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate; cumque homini sive natura, sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem; nec enim dominante libidine temperantia locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere.

Exempla Causæ materialis habes Verrina 6. num. 64. Exaggerat furtum Verris à materia Candelabrorum quæ rapuerat, qui gemmis & auro constabant. Candelabrum è gemmis clarissimis opere mirabili perfectum. Et ibidem num. 62. Non pauca etiam pocula ex auro, quæ ut mos est regius, & maxime in Syria gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata cum manubio aureo.

Et Verrina 4. n. 83. Sthenii elegantem à materia commendat suppellectilem, quam Verres variis modis suam fecerat. Etenim Sthenius ab adolescentia studiosus paulo hæc compararat, suppellectilem ex arte elegantiore & Deliacam & Corinthiam, Tabulas pictas etiam argenti benefacti, prout Thermitani hominis facultates ferebant... Quæ posteaquam ipse abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo, ferebat Sthenius ut poterat, &c.

Item lib. 2. de natura Deorum n. 39. Sydera commendat à materia. Atque hæc mundi divinitate perspecta, tribuenda est syderibus eadem divinitas, quæ ex nobilissima purissimaque

etheris parte gignuntur, neque ulla prater ea sunt admista natura, totaque sunt calida atque perlucida.

Quis est usus illius Loci?

R. Valet hic locus ad commendationem manufactorum, ad extolendum rei alicujus pretium, aut idem minuendum. Sic pro Muræna Jurisprudentiam elevat ab exilitate rerum circa quas versatur numer. 19.

Exempla Cause formalis suppeditat Oratio pro Sextio numer. 47. ubi Tullius probat mortem sibi expectendam fuisse, potius quam timendam, quia hominis animus immortalis est. An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors aquo animo oppetenda? quid? tum mortem-ne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine, cum gerebam, non mihi mors, non exsilium ob oculos versabantur? Non hac denique à me tum, tanquam fata, in ipsa re gerenda, continebantur; an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expertus consilii aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo querendoque cognoveram? Nesciebam vitam brevem esse cursum, glorie sempiternum! cum esset omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, que necessitati deberetur, patrie potius donata, quam reservata natura videretur? Nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent hominum animos sensusque morte restringi; alii autem tum maxime mentes sapientum ac fortissimorum virorum, cum è corpore excessissent, sentire ac vigere? Quorum

alterum fugiendum non esse, carere sensu; alterum etiam optandum, meliore esse sensu.

Et lib. 1. Officiorum n. 106. concludit homini fugiendam esse voluptatem ab excellentia ingenii seu animi qua polleat. Ex quo intelligitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, eamque contemni ac rejici oportere. Sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter eum tenendum esse modum ejus fruende. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur & ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam si considerare volumus, qua sit in natura excellentia & dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffuere luxuria, & delicate ac molliter vivere; quamque honestum parce, continenter, severe sobrièque.

Et Verrina 6. n. 72. Exaggerat sacrilegium Verris ab egregia forma simulacri Dianæ, quod Verres sustulerat. Fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ tum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum.

Et n. 74. de eodem Dianæ simulacro. Hac posita Segesta sanè in excelsa basi, in qua grandibus literis P. Africani nomen erat incisum. Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola: verumtamen inerat in illa magnitudine atas atque habitus virginalis: sagitta pendebat ab humero: sinistra manu retinebat arcum, dextera ardentem facem præferebat.

Item Candelabrum jam à nobis laudatum extollit ab egregio operis artificio, n. 65. ibidem. Etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis & plurimis gemmis esse debebat; ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia: ea magnitudine,

ut

ut intelligi posset, non ad hominum apparatus, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum.

Quis est usus illius Loci?

R. Valet ad explicandam & describendam rem clarius, etiam ad amplificandam.

Habes exempla Cause Finalis pro Roscio Amer. num. 84. ubi Tullius probat à Fine, non fuisse Roscium patris interfectorem, quia nullum habere poterat ipsius occidendi propositum finem. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Lucius ille Cassius, quem populus Rom. verissimum & sapientissimum Judicem putabat, identidem in causis querere solebat, Cui bono fuisset.

Sic & pro Milone n. 32. concludit Cicero insidias non ab illo, sed à Clodio fuisse comparatas; quia spes emolumentum Clodium respiciebat, non Milonem.

Quoniam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte positam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis valeat: Etsi boni nullo emolumento impellantur in fraudem, improbi sæpe parvo. Atqui Milone interfecto Clodius hoc assequabatur, non modò ut Prator esset, non eo Consule, quo sceleris nihil facere posset; sed etiam ut his Consulibus Prator esset, quibus, si non adjuvantibus ac conniventibus, certe sperasset se posse Remp. eludere in illis suis cogitatis furoribus.

Et pro Sextio num. 98. & 99. Optimates commendat, ab eo fine quem sibi proponunt. Quid est igitur propositum his Reip. gubernatori-

bus? quid intueri, & quò cursum suum dirigere debeant? Id quod est præstantissimum maximeque optabile omnibus sanis & bonis, & beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes Optimates; qui efficiunt, summi viri & conservatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines ita efferrè convenit, ut otio non prospiciant, neque ullum amplexari otium, quod abhorreat à dignitate, &c.

Et lib. 8. Epistola II. ad Atticum ita commendat hominis Politici finem. Ut gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria; sic huic moderatori Reipubl. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis maximi inter homines, atque optimi illum esse effectorem volo.

Quis est illius Loci usus?

R. Valet imprimis ad amplificandum & movendum. Ita pro Roscio Amer. num. 145. Tullius ostendit nullam adversario subesse causam Roscii accusandi; cum ea omnia, quibus induci potuisset ad accusandum eum, jam esset consecutus. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in revolutatem tuam lædè à me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? si spoliatorum causa vis hominem occidere? spoliasti. Quid queris amplius? si inimicitarum? que tibi sunt inimicitie cum eo, cujus antea prædia possedisti, quam ipsum cognosti? sin meruis? ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipsum à se se tam atrocem injuriam propulsare non posse? sin, quò bona, que Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc illius filium studeas perdere? nonne ostendis id te vereri, quod præter ceteros tu metueres?

M. 2. non